

Adamo ponitur duplex peccatum; aliud personæ, aliud naturæ. Hoc secundum derivatur ex primo; non enim peccatum illius hominis solum ejus personam corrumpit, sed etiam totam naturam; et hæc corruptio naturæ derivatur ad posteros, et dicitur peccatum originale, et per naturalem propagationem, et originem communicatur. At vero in Christo gratia habitualis, non ita perficit illum, quod derivetur ad nos mediante natura, sed per actionem, causando aliam gratiam in nobis, et ideo non est similis ratio ad multiplicandum gratiam in Christo, sicut peccatum in Adamo.

In sexto articulo inquit sanctus doctor, si esse caput est proprium Christi, et respondet, quod quantum ad influxum intrinsecum est proprium Christi; quantum vero ad extrinsecum, qui consistit in quadam gubernatione exteriori potest aliis communicari, sed non secundum rationem, quæ in Christo est, quia Christus est caput omnium secundum omnem locum, et tempus, et statum. Alii autem homines dicuntur capita secundum quædam specialia loca, sicut episcopi suarum Ecclesiarum, et papa totius Ecclesiæ, pro determinato tempore, et pro viatoribus, et denique Christus propria auctoritate, et virtute est caput; alii vero auctoritate Christi, ut vicem ejus gerentes.

In septimo articulo inquit D. Thomas, si diabolus est caput omnium malorum, et respondet quod quantum ad interiorem influxum non est caput, sed secundum exteriorem gubernationem, sicut princeps est caput multitudinis sibi subjectæ; et ideo diabolus dicitur caput, quia ita gubernat malos, quod inducit illos ad suum finem, qui est aversio rationalis creaturæ a Deo. Dicitur autem hæc aversio finis diaboli, in quantum appetitur ab ipso sub specie libertatis, et voluit non esse Deo subjectus, et quatenus inducit alios ad eundem pravum finem dicitur caput illorum. Et licet ut habetur in solutione ad secundum, non omne peccatum fit ex suggestionem diaboli, sicut in aliis malis Angelis, et in aliquibus hominibus aliquod peccatum, quia non omne peccatum hominis ex diabolo procedit. Tamen, ut ibidem explicat D. Thomas sufficit, quod mali Angeli secuti fuerint voluntatem diaboli, qui tamquam dux erexit vexillum, quod alii sponte secuti fuerunt; in hominibus vero, quamvis non omne peccatum sit ex immediata suggestionem diaboli, tamen radicaliter, quatenus corruptio naturæ derivata fuit ex peccato patrato ex suggestionem diaboli, illi potest omne peccatum tribui.

In octavo et ultimo articulo inquit D. Thomas si antichristus est caput omnium malorum. Et respondet, quod quantum ad illa tria, quæ reperiuntur in capite, ordo, perfectio, et virtus influendi, antichristus non est caput omnium malorum, quia ejus peccatum non præcessit alios, nec influit in omnes, etsi in aliquos sui temporis influat inducendo illos ad malum, et secundum hoc illorum solum poterit dici caput. Respectu vero omnium malorum potest dici caput propter malitiæ perfectionem, quæ erit in illo, quia in ipso erit plenitudo malitiæ, sicut in Christo plenitudo gratiæ; non tamen ille influet, nec ejus humanitas, sicut humanitas Christi.

In solutione ad primum explicat sanctus doctor, quomodo diabolus, et antichristus non sunt duo capita malorum, sed unum, quia in antichristo erit caput, scilicet diabolus, non quidem per unionem personalem, nec per intrinsecam habitationem, sed per malitiæ effectum; unde antichristus subordinatur diabolo tamquam capiti, et dicitur caput, quia in eo invenitur plenissime malitia diaboli: ut enim dicitur ad secundum, sicut caput Christi est Deus, et tamen ipse est caput Ecclesiæ; ita antichristus est membrum diaboli, et tamen est caput malorum.

DISPUTATIO X.

DE GRATIA CHRISTI IN QUANTUM EST
CAPUT.

ARTICULUS I.

Utrum gratia Christi secundum quam est caput, sit eadem cum gratia habituali ejus, ut est quidam homo?

I. In articulo quinto hujus quæstionis S. Thomas hanc difficultatem disputat, et partem affirmativam determinat, et probat hac ratione. Unumquodque agit in quantum est in actu; et ideo idem est actus quo aliquid est in actu, et quo agit. Patet exemplo: ignis per calorem est calidus, et per eundem calorem calefacit: sed Christus est in actu gratus, et justificatus per gratiam habitualement; ergo per illam influit, et agit in justificationem aliorum. Hoc autem est munus capitis; ergo per gratiam habitualement, quæ illi competit, ut singularis homo constituitur caput. Sed non per illam quomodocumque, sed secundum eminentiam, et superioritatem, quam habet ex hoc quod est in Christo; quam eminentiam recipit ex conjunctione ad Personam divinam.

II. Quod sic probatur: Ut aliqua forma possit agere in alios debet esse superior, quia non omnis actus, quo aliquid est actus, sufficit ad hoc quod sit principium agendi in alia, quia agens est præstantius patiente, ut patet ex Augustino, et philosopho: ergo gratia habitualis, ut possit esse principium influendi in alios debet habere eminentiam, et superiorita-

tem. Hanc autem habet ex hoc quod est in Christo propter conjunctionem ad divinam Personam, quia anima Christi recipit gratiam secundum maximam eminentiam; ergo gratia habitualis Christi propter eminentiam, quam habet ex conjunctione ad Personam divinam, efficitur gratia capitis, et constitutum formale, et proximum Christi in ratione capitis.

III. Sed contra hanc resolutionem et rationem D. Thomæ aliqua occurrunt. Contra rationem in primis, quod processus ejus, et discursus non videtur magis probare de gratia Christi, quam de gratia Pauli, quia etiam gratia Pauli fuit superior, et eminens ad alios; ergo si ex eminentia gratiæ in Christo probatur ratio capitis, poterit probari etiam de gratia Pauli.

IV. Deinde instatur ratio primo: Quia vel probat de causalitate gratiæ in genere causæ principalis, vel instrumentalis, quod non in genere causæ principalis patet, quia est creatura, et non potest esse causa principalis, nec operans principaliter: quod non de instrumentali etiam probatur, quia principium, in quo nititur ratio est, quod idem est actus, quo aliquid est in actu, et quo agit; sed instrumentum non constituitur per actum quo agit, quia agit per actionem causæ principalis, et antecedenter ad illam præsupponitur jam constitutum instrumentum in ratione instrumenti, quæ non consistit in hoc quod elevetur, sed quod sit elevabile, et assumptibile; ergo non probatur ratio de ratione instrumenti.

V. Præterea, ad merendum aliis gratiam requiritur gratia unionis, ita quod sine illa non possit stare aliis mereri gratiam, ut patet in puro homine, quantumcumque gratificato per gratiam habitualement. Ergo neque in Christo concurrat perfectio gratiæ habitualis ad influen-

dum in alios; ergo neque ad constituendum caput.

VI. Denique ratio D. Thomæ est diminuta, quia solum probat, quod gratia Christi propter suam eminentiam potest influere in alios: sed hoc non sufficit ad rationem capitis, quia caput non solum debet influere in aliquos, sed in omnes; ergo diminute procedit D. Thomas probando, quod influit in aliquos quando debet probare, quod influit in omnes, ut verificaretur ratio capitis.

VII. Quantum ad substantiam sententiæ pater Vazquez disp. XLIX, cap. iv tenet, quod principaliter per gratiam unionis constituitur Christus caput. Hujus fundamentum est, quia totus valor satisfactionis, et redemptionis Christi provenit ex gratia unionis, et non ex gratia habitualis; ergo per gratiam unionis potius quam per habitualement constituitur caput. Consequentia patet, quia principalis actio capitis est satisfactio pro peccatis hominum, et redemptio; antecedens vero constat, quia in puro homine non esset sufficiens valor ad redemptionem, et satisfactionem pro omnibus, quia deficit gratia unionis; ergo in Christo ex gratia unionis sumitur totus iste valor.

VIII. Confirmatur: Efficacitas meriti Christi pro aliis provenit a valore desumpto ex persona, quia quamvis non haberet gratiam habitualement, posset aliis mereri propter dignitatem divinæ Personæ; ergo per gratiam habitualement non sufficit ad merendum aliis, sed solum per gratiam unionis merito de condigno; ergo potius per gratiam unionis constituitur Christus caput, quam per gratiam habitualement.

IX. Secundo arguitur: Quia ille modus superadditus gratiæ habituali in Christo, vel est aliqua entitas distincta, vel est ipsa gratia; si est entitas distincta, in illa consistit

constitutivum capitis, et non in gratia: si est sola gratia restat explicare, quomodo constituat Christum caput, si illi nihil addit, quod non sit in aliis.

X. Confirmatur: Quia in formis activis nihil addit activitas propriae operationis supra actualitatem propriam, sed per suam actualitatem agunt; ergo si gratia habitualis in Christo est forma activa, non est necesse, quod illi aliquid superaddatur ut agat; ergo male dicitur, quod aliquid additur ut influat, vel ipsa non est forma activa, et influens.

XI. Ultimo arguitur: Humanitas Christi, vel gratia habitualis non habet influxum physicum in genere causæ principalis, sed solum instrumentalis in alios; sed operatio instrumentalis non potest constituere caput; ergo ad rationem capitis non requiritur operatio instrumentalis, sed sufficit operatio moralis in genere causæ principalis. Patet consequentia: Tota ratio capitis salvatur in Christo per hoc, quod possit esse redemptor, et satisfactor; hæc autem est operatio moralis, et hoc habet per gratiam unionis, et totum hoc salvabitur, quamvis non detur concursus physicus instrumentalis in gratia Christi, neque in ejus humanitate; ergo ad rationem capitis nihil conducit operatio instrumentalis, nec gratia habitualis secundum instrumentalem influxum.

RESOLUTIO QUÆSTIONIS.

XII. Prima conclusio: Suppositum divinum non est proximum, et formale constitutivum Christi in ratione capitis, nec gratiæ unionis; est tamen quid prærequisitum, et quasi radicaliter se habens ad rationem capitis. Prima pars conclusio-

nis probatur: Caput comparatur ad corpus tamquam pars illius, et tamquam aliquid homogeneum cum aliis membris, in ratione substantiali corporis, quod ex illis resultat tamquam unum compositum: sed Persona divina non potest comparari ut pars respectu alicujus compositi resultantis ex ipsa, et ex aliis creaturis; tum, quia ratio partis est quid incompletum; tum, quia pars dividitur contra partem, quia non includit perfectionem ejus; tum, quia pars est ejusdem rationis cum aliis partibus ad constituendum totum, et participat rationem specificam, et substantialem compositi cum aliis, alias compositum resultans esset monstruosum, verbi gratia in corpore, humano omnes partes sunt speciei humanæ, quamvis accidentaliter sint diversæ rationis, tamen in ratione substantiali omnes partes sunt homogeneæ, et univoce; nam si caput esset leonis, et cætera membra hominis, esset corpus monstruosum. At Persona divina non potest esse ejusdem naturæ cum creaturis, neque univoce cum illis convenire, quia non ponitur in genere; neque in prædicamento cum illis, sive in esse naturæ, sive in esse gratiæ considerentur. Cum ergo Persona divina non se habeat, ut pars illius multitudinis, aut illius conflati ex multitudine ex Deo, sed ut caput seorsum separatam, consequenter in ipso recte distinguitur ratio capitis ab esse personali, quod est suppositum; præsertim ad hoc ut Persona divina instituat caput homogeneum, et univocum; id enim non habet Persona divina ex ipso esse personali, vel ex natura deitatis, sed ex humanitate assumpta cum donis gratiæ. Igitur constitutivum proximum, et formale capitis in Deo, ut fit caput homogeneum respectu multitudinis creatæ, non debet desumi ex ipsa

Persona, quæ neque est pars istius multitudinis, neque illi homogenea, sed ex eo, quod sibi adjungitur, scilicet ex humanitate, ut gratificata per gratiam habitualement.

XIII. Secunda vero pars conclusionis, quod scilicet suppositum, seu Persona in Christo est quasi prærequisitum, et quasi radicaliter se habens ad rationem capitis, probatur ex dictis, quia valor operationum Christi personalis, ratione cujus illa opera sunt satisfactoria ad æqualitatem, et meritoria de condigno nostræ gratiæ, quæ sunt actiones capitis, provenit tamquam a radice a Persona divina, neque ipsa gratia illum communicat operationibus a se procedentibus, nisi ut talis gratia est conjuncta Personæ, et gratiæ unionis.

XIV. Similiter, et actio instrumentalis, qua physice causat gratiam, licet absolute non dependeat ab unione divinæ Personæ, ut patet in sacramentis, et ministris instrumentaliter ad illam concurrentibus, tamen actio instrumentalis talis instrumenti, scilicet conjuncti, et quo Verbum, tamquam organo operatur, necessario fundatur, atque requirit gratiam unionis, quia aliter non est instrumentum conjunctum; ut in nobis ut aliquid sit absolute instrumentum, non requiritur, quod sit conjunctum personæ operanti; ut autem sit instrumentum organicum, sicut manus, requiritur quod ipsi personæ sit conjunctum. Quare Christus ad influendum vitam gratiæ in nos, tam per meritum de condigno, quam per redemptionem, et etiam per modum instrumenti conjuncti Verbo, necessario debuit constitui caput per gratiam habitualement præsuppositam, et radicatam in gratia unionis.

XV. Secunda conclusio: Gratia habitualis induit rationem gratiæ capitalis ratione alicujus intrinse-

cæ, et novæ perfectionis super entitatem gratiæ habitualis: hæc tamen perfectio non est physice aliud, quam conjunctio ad Personam divinam, seu gratia unionis. In hac conclusione non conveniunt omnes Thomistæ: nam aliqui existimant puræ creaturæ posse communicari dignitatem capitis, ut magister Soto in iv, dist. i, art. iv; non quidem ut satisfaciatur de condigno pro culpa, sed supposita gratia Dei mereatur alteri gratiam, et possit sacramenta instituere ad sanctificandum: unde consequenter supra ipsam intrinsecam rationem gratiæ intensivam non videtur, juxta hunc modum dicendi, addi aliquid reale, et intrinsecum, ut sit gratia capitis, nisi sola Dei extrinseca ordinatio; an vero gratia capitis prout est in Christo, non solum ad merendum alteri gratiam quomodocumque, sed etiam ad satisfaciendum pro culpa, importet aliquid reale, et intrinsecum in ipsa gratia ex conjunctione ad Personam derivatum, quod puræ creaturæ communicabile non est, magister Soto non definit.

XVI. Ejus autem sententia vehementer refragatur a Joanne Vincentio, relectione gratiæ Christi, pagina 6, qui docet, quod nullo modo potest meritum de condigno fundari in aliqua extrinseca acceptatione Dei; hoc enim non esset de condigno mereri, sed ex mero favore alterius, non ex ipsa operum substantia, et dignitate propria; et nihilo minus non vult concedere, quod gratia Christi instituatur in ratione capitis per aliquam perfectionem physicam ejus essentiæ superadditam, sed per infinitatem perfectionis moralis ex conjunctione ad ipsum Verbum consurgentis.

XVII. Nos autem, cum supra disputatione præcedenti, articulo secundo statuerimus actiones Christi habere intrinsecum valorem ex con-

junctione ad Verbum, consequenter debemus asserere, quod gratia habitualis intrinsece fuerit perfecta ex tali conjunctione. Itaque non solum per aliquam deputationem extrinsecam, et moralem, sed per realem, et intrinsecam terminationem ille valor convenit gratiæ, et actionibus ejus. Quare æquivocatio tollenda est ex sententia Asturicensis. Si enim nomine perfectionis moralis intelligit aliquid distinctum ab omni actione, et modo perfectionis moralis extrinsece, corrigenda est sententia: si autem velit dicere, quod gratia Christi ut sit gratia capitis non indiget alia perfectione physica superaddita, præter ipsam realem unionem, et terminationem Verbi, vera sententia est.

XVIII. Itaque fatemur humanitatem Christi, et gratiam habitualement ejus, ex conjunctione ad Verbum solum habere perfectionem aliquam infinitatis moralis; non autem infinitatis entitativæ. Cæterum illa perfectio, seu dignitas moralis dupliciter potest alicui convenire, uno modo ex sola deputatione extrinseca, sicut dignitas regis, judicis, doctoris, etc. alio modo ex intrinseca unione ad rem perfectiorem; sicut instrumentum ex conjunctione ad causam principalem virtuosius efficitur, et elevatius; et si quam dignitatem moralem ex hac elevatione habet, eam participat per talem conjunctionem, quæ est realis unio, et relatio; sicut vestis regia, aut insignia regia ex sola conjunctione ad regem redduntur majoris æstimationis, non ex deputatione aliqua, vel electione.

XIX. Sic ergo humanitas Christi, et consequenter ejus gratia ex reali unione ad Verbum valde perficitur, et non minus participat eminentiam, et dignitatem infiniti valoris, quam actus ab eo procedentes: Posita autem gratia cum dignitate,

et eminentia tali super omnem aliam gratiam redditur derivabilis ad alios, tum meritorie, tum physice instrumentaliter, quia ad hoc non requiritur nisi actualitas gratiæ cum ipsa eminentia (ut arguit D. Thomas in articulo quinto) quia per hoc induit conditiones ad rationem capitis requisitas: præter conjunctionem autem non requiritur alius modus superadditus. Et in hoc bene procedit sententia Asturicensis; neque enim aliam infinitatem vel perfectionem invenimus, quam conjunctionis ad Verbum, (sicut supra loco citato probatum est) et videtur expressum in D. Thoma 1-2, quæstione cxii, articulo primo ad primum, ubi inquit: « Quod humanitas Christi causat gratiam, non propria virtute, sed virtute divinitatis adjunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares; » ubi perfectio illa superaddita, quod sint salutares, solum reducitur ad virtutem divinitatis adjunctæ, et unitæ.

XX. Nec fundamentum magistri Soto aliquid probat contra hanc conclusionem. Nam admittimus cum D. Thoma infra quæstione xciv, articulo iv, quod Christus potuit communicare suis ministris potestatem excellentiæ, ita ut essent capita Ecclesiæ, et instituere sacramenta, etc. Cæterum in solutione ad tertium ait: « Quod ad evitanda inconvenientia noluit Christus potestatem excellentiæ suis ministris communicare; si tamen communicasset ipse esset caput principaliter, alii vero secundario. » Quare licet officium capitis absolute potuisset communicare, non tamen capitis principalitatem, nec rationem instrumenti conjuncti, et quasi organici ipsius Verbi, sicut habebat humanitas Christi: unde sicut elevatio, et eminentia ordinis hypostatici, non potest alicui puræ creaturæ communicari; ita neque elevatio

capitis in gratia habituali, quæ consistit in perfectione talis gratiæ, ut conjuncta est Verbo: unde habet gratia Christi esse quasi organum divinitatis ad influendum in alios, tum meritorie, tum instrumentaliter physice, et sic tanta perfectio nulli alteri creaturæ communicabilis est.

XXI. Ultima conclusio: Derivatio, qua a capite, seu gratia capitali, et ut ita dicam organica ipsius Verbi derivatur ad nos omnis gratia, est duplex, scilicet meritoria, et instrumentaliter physica. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma quæstione xxvii de veritate, art. vi, et expressius infra quæst. lxxv, art. iii, ubi inquit: « Quod interiorem effectum sacramentorum operatur Christus, et in quantum Deus et in quantum homo: in quantum Deus per auctoritatem (hoc est supremam, et primariam virtutem) secundum autem quod homo, operatur ad interiores effectus sacramentorum meritorie, et efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim, quod passio Christi quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis, et meritorie, et effective, non quidem per modum principalis agentis, sive per auctoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum divinitatis ejus: sed in quantum est instrumentum conjunctum divinitati in Persona habet quamdam principalitatem, et causalitatem respectu illorum, qui sunt ministri Ecclesiæ, » ubi plenissime docet totam hanc conclusionem.

XXII. Et licet instrumentaliter potentia non indigeat gratia in ipso instrumento, ut patet in elemento aquæ causante gratiam in baptismo, et in ministro peccatore, tamen, ut advertit S. Thomas quæst. xxix de veritate, art. ix ad tertium: « Quia Christus operatus est no-